

His præsertim temporibus, quibus naturæ virtus effœta exhauri-
 staq; meliorem, accuratiorem & magis sollicitam educationem
 liberorum efflagitat, Attamen ubi pueri adoleverunt, & arti-
 bus ediscendis apti sunt, parùm bene, nec satis tutò, inter affe-
 ctuum naturalium impedimenta & parentum amplexùs institui
 posse contendo. Quamprimùm enim adolescentibus, se ma-
 gni fieri à Parentibus, innotuit, continuò in *Diophanti* (ε) senten-
 tiam conscendunt, qui superbè nimis & arroganter populum
 Atheniensem omnia facere, quæ vellet, publicabat, *Quia ego
 matrem, aiebat, mater patrem, pater Rempubl. administrat.* Hæc
 cum apud me revolvo diligentius, valdè miror, quam obrem le-
 gibus cautum sit, *ne pueris utroq; parente orbatis ante vigesimum
 quartum annum, id est, plenum & perfectum rationis ac judicij u-
 sum, patrimonii & fortunarum administratio committeretur,* nihil
 autem contra parentum blandissimorum indulgentiam amo-
 remq; præposterum edictum audiamus. Cum tamen certum
 sit hæc *Φιλοσοφία* fenestram maximam ad omnem nequitiam
 aperiri, & viros alioquin optimos sanctissimosq;, ejus dulcedine
 nimia excæcatos, filios lascivientes Dei gloriæ & honori præpo-
 suisse. Nam *omnes*, & præsertim juvenus, *multò deteriores*

A 3

red-

(ε) Ita Plutarch., recensente Michaële Neandro, in Themistocle:

Τὸν υἱὸν ἐνὶ ρυφῶντα ἦν μητέρα, καὶ δι' ἐκείνην αὐτῷ σκώπτων ἔλε-
 γε πλείστον τῶν Ἑλλήνων δύνασθαι. Τοῖς μὲν γὰρ Ἑλλήσιν ὀπιτάτ-
 λειν Ἀθηναίους, Ἀθηναίοις δὲ αὐτὸν, αὐτῷ δὲ τὴν ἐκείνου μητέρα, μη-
 τέρι δ' ἐκείνον. *At* περὶ παιδ. ἀγωγ., *paullò aliter*, Διοφαντον
 τὸν Θεμιστοκλέους πολλάκις λέγεται φάναι καὶ πρὸς πολλὰς, ὡς ὅς
 τι ἂν αὐτῷ βέλῃται, ἴστω καὶ τῷ δήμῳ συνδοκεῖν τῷ τῶν Ἀθηναί-
 ων· ἃ μὲν γὰρ αὐτὸς ἐθέλει, καὶ ἡ μήτηρ· ἃ δ' ἂν ἡ μήτηρ, καὶ
 Θεμιστοκλῆς· ἃ δ' ἂν Θεμιστοκλῆς, καὶ πάντες Ἀθηναῖοι. *Latina
 babes apud* Erasmi. lib. V. Apophthegm.